



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 4. In solitudine videtur, auditur, Deus. Ex Veteri. Ex Novo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

*Rebecca diligebat Jacob.* Gen. 25. 28. Singulariter queniſque noſtrum tantò hæc Rebecca (cœleſtis ſapientia) plus diligit, quantò ſimplicior quiſque habitat in tabernaculis. Nam è contra, quantò quis plus habet Eſau, tantò minus à Rebecca diligitur. id eſt, quantò ampliùs foras evagatur, tantò minus S. Scripturæ lactatur uberibus, incuſque re-poſitò pane cibatur. Rupertus l. 9. in Gen. c. 7.

*Apparuitq; ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Ex. 3. 2. Moyses, cum ingrederetur ad interiora deſerti, vidit Dominum in rubo; velut ignem inflammantem conſolationem accepit in animo, quam antè nunquam legitur ſuſcepiffe; noticiam habuit divinatorum, & revelationem ſecretorum Dei. Sim. Caſſ. l. 4. c. 4.

*Invenimus eam in campis ſylvæ.* Pl. 131. 6. Sylvæ, loca ſunt inculca, & agreſtia. In inculca, & agreſti, via rationabiliter aſſumptà Chriſtus Dominus invenitur. Non enim in campis deliciarum, ſed ſylvarum, qui ſe obtulit, requiſitus: Quarantur loca remota, & nemorum campi; qui ſunt amici, mœroribus, contemplationibus, apti, à ſtrepitu alieni: & inibi invenietur, qui inter delicias, & turbas, ſæpe perditus eſt. Sim. Caſſ. l. 6. c. 7.

*Soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Cant. 5. 2. Quis tibi renuntiavit, immaculatam eſſe, & amicam? ſi intus eſt, ſine maculâ, ſine nævo eſt: amica ſponſi, ſi amica ſolitudinis. *Vox Dilecti pulſantis: aperi mibi.* Oliva l. 2. Strom. 5. Matth. 12. 40. Ergone ſepulchrum Chriſti &c.

*Vox clamantis in deſerto.* Iſa. 40. 3. Primò omnium conſiderandam arbitror gratiam deſerti, beatitudinem eremi; quæ ab initio gratiæ quieti ſanctorum meruit conſecrari. Conſecravit nobis planè habitationem deſerti *Vox clamantis in deſerto*: quanquam & ante ipſum quibuſcunque ſanctiſſimis Prophetarum, velut auditorum ſpiritus, amica ſemper fuerit ſolitudo. Guarrius l. 4. de adv. Dom.

### Ex Novo.

*Aſſumpſit duodecim Diſcipulos ſecretò.* Matth. 20. 17. Ut Chriſtus Diſcipulos ſuos myſteria ſuæ ſanctiſſimæ Paſſionis doceret, eos à turbis ſegregat. Nam, ut quis divina percipiat; neceſſe eſt à Mundana turba fugere. Sylveira c. 37. hîc.

*Statim ſpiritus expulit eum in deſertum.* Marci 1. 12. Spiritus S. non libenter habitat, ubi turba, & frequentia, & diſſenſiones, & rixæ, ſunt; ſed ſpiritus S. propriè ſedem habet ſolitudinem. S. Chryſoſt. hom. 3. hîc.

*Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem in deſerto.* Luc. 3. 2. Non in aula He-

rodus, non in frequentia hominum. Ut ſuavis citharæ concentum audiamus, populi perſtrepentis tumultum fugiamus. Non in Ægypto, ſed in deſerto Sinai, cum populo Iſraël locutus Dominus. Barradius t. 2. l. 1. c. 7. morali 1.

*Rabbi, - ubi habitas?* Joan. 1. 38. Cur volunt hi duo Diſcipuli ſcîre Chriſti habitationem? quia non tranſcurſu, nec in via, nec in publico, volebant diſcere, ſed in ſecreto; & magnâ deliberatione deſiderabant inſtrui de rebus Domini. Sylveira hîc.

Solus erat Petrus, & totum per orbem conſecrandarum gentium cognovit myſteria. Act. 10. 1. S. Ambroſius ep. 41.

*Fui in inſula, que appellatur Patmos.* Apoc. 1. 9. Ubi talia videre, ac tanta, promeruit? nunquid in urbibus? nunquid in regum adibus? nunquid in locis ſublîmibus? non: ſed in inſula Patmos à Domitiano relegatus. Anſbertus. Inſula hæc valde remota, & ſolitaria; ibi tanta ei myſteria revelata. Sylveira hîc. q. 37.

In noctis ſilentio, quando ſecretè cum illa Deus eſt in cubiculo ſuo; quando pacata, & quieta ſunt omnia; quando pax habetur intus à vitiatorum perturbatione; & foris ab omni inquietudine, & occupatione; quando ſilent vitia, & peccatorum omnium recordatio: ſenſus quoque exteriores ſopijuntur, & Mundanorum memoria. Cum itaque tanta quies fuerit, & jam ſilent omnia; tunc jam audiri poterit vox Dei: quæ non tantum loquitur, ſed ſuſſurrat; id eſt, tenuiter, & occultè, aliquid humanæ menti manifeſtat. Richardus à S. Victore c. 7. in Cant.

### §. V.

#### Solitudo meretur Angelorum conſortium.

SOLA erat Agar. Gen. 16. 6. 7. Elias ſolus. 3. Reg. 19. 5.

*Et ecce Angeli acceſſerunt.* Matth. 4. 11. Angelorum non carebat conſortio, qui hominum conſortia devitabat. Sim. Caſſ. l. 4. c. 4. hîc.

*Ad monumentum foris plorans.* Joan. 20. 11. Ut intelligamus: quòd quamvis ſola non eſſet; ſodalibus tamen aut ſedentibus, aut quaſi vagantibus quærendo, ipſa ſola juxta olium monumenti foris non ſedebat; ſed ſtabat, & flebat. -- *Et vidit duos Angelos.* Cajetanus hîc.

### §. VI.

#### Solitudo extra peccata, apta penitentia.

SOLUS erat Adam, & non eſt prævaricatus. Gen. 2. quia mens ejus adhærebat Deo. Poſtquam verò ei mulier adjuncta eſt, non pot. erat